

Sequitur dominica quarta.

Sermo primus.

Ascendente ihesu in nauiculam: secuti sunt eius discipuli eius ad Mattheum. viii. Sepe conuenit quod quando quis penitentiam inchoat: grauis temptatio eum pulsatur: nec deo eum liberat. Ideo currere debet ad deum per seuerentem orationem et perseverantem instare donec impetret dei misericordiam. et tunc aliquando tanta eum gratia sequetur quod ipse etiam in admiratione exercitatur. Ita per ordinem in isto euangelio exprimitur. Primo enim ponitur penitentia assumptio. Cum dicitur. Ascendente ihesu in nauiculam. Tunc autem ihesus in nauiculam ascendit quodammodo quis sine salutis auxilio penitentiam facere incipit. Per nauiculam qui de penitentia significatur quod per ipsam homo ad portum salutis ducitur. Et qui extra istam inuenitur ad portum salutis non perueniet sed ipsum vincta infernalis deuorabit. Et ideo significata est per archam noe. quod illi qui in eam ascendunt fuerunt saluati. Qui vero non ascenderunt: fuerunt submersi. In hoc tamen distat illa archa ab ista nauicula. secundum sententiam Crisostomi in libro de laudibus Pauli quod in illam archam lupus intrauit et lupus exiuit: leo intrauit et leo exiuit. coruus intrauit et coruus exiuit. homines intra-

uerunt a homines exiuerunt. quia nec lupo potuit auferre suam rapacitatem: nec leoni suam ferocitatem: nec coruo suam voracitatem: nec hominibus mutare suam humanitatem. Sed quicumque secundum beatum Johannem Crisostomum in hanc archam penitentiae intrauerit perseverando. si erat lupus mutatur in agnum. quia si erat raptor: vel furcarius vel auarus: dimittit rapinam et induit innocentiam. quia nihil nocet sed omnibus prodest. Si erat leo mutatur in ouem: quia si erat elatus per superbiam. efficitur mansuetus per humilitatem veram. Si erat coruus mutatur in columbam: quia si appetebat carnes. nunc appetit pura gratia id est si appetebat carnales voluptates: nunc appetit spirituales refectioes. Si enim ad instar corui differabat suam conuersionem procrastinando. iuxta illud Sapientie secundo. Vox columbe habitantis in fenestra coruus in superliminari: eam facit gemitibus ad deum clamando. Iuxta illud Psalme decimo sexto. Quasi columbe meditantes gemitus et cetera. Unde dicit beatus Augustinus. Illa res est que multos occidit dum enim dicitur se per terras et clauditur ostium et remanet foris cum voce coruina. quod noluerunt habere gemitum columbinum. Item homines secundum Crisostomum in ista nauicula penitentiae